



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

Coloniae Munatianæ, 1665

III. De Pactis, & Transactionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

illo litem contestatus fueris, aut negotium aliter attigeris, post mortem tamen illius, etiam quoad coepa, procurator esse definis.

DE PACTIS ET TRANSACTIO-
NIBUS.

TITVLVS III.

Metu iudiciorum interdum devenitur ad pacta, ad transactio-
nes, & ad compromissa. h. d.

Consequens nunc est, ut videamus de serie, & actis ipsorum iudiciorum. Sed quia interdum accedit, ut iudiciorum metu litigaturi ad pacta & transactiones veniant, aut ad arbitros declinent, ideo prius paucis de his dispiciamus.

Pacta sunt servanda, & per ea etiam indultus Apostolicus derogari potest. h. d.

Et quidem pacta inter quoscunque, quacunque de re inita, regulariter suam habere debent firmitatem: neque enim quisquam, ut divinum monet oraculum, ea quae de labiis suis procedunt, irrita facere debet. Quod quidem usque adeo obtinet, ut Apostolicis etiam indultis pactum deroget. Inde a cum monasterio ab Apostolica sede libera sepultura concessa esset, pactumque esset cum rectore parochialis Ecclesiae, ne parochiani ipsius ad sepulturam reciperentur, responsum est, in dicto monasterio sepeliri eligentes, obstante conventionem, voti sui fieri non posse compotes.

Pactum, per quod filia dotata veniunt hereditariis paternis, iuramento vallatum, tenet. h. d.

Eodem etiam spectat b, quod pactum à filia, dum nuptui traditur, cum patre factum, ut dote contenta, ad bona paterna nullum habeat regressum, si iuramento vallatum sit, licet lege civili improbetur, servari debet: cum tale pactum non vergat in aeternae salutis dispendium.

Pactum quod tendit ad periculum animae, non ligat. h. d.

Quod si servatum in animae tendat detrimentum e, quia forte sit pactum de re turpi, veluti quod post mortem Titii clerici Sejus in beneficio succedat: vel aliter de iure, vel de facto sit impossibile, nullam inducet obligationem.

Transactio, quae non sunt iuri contraria, servari debent, & partium iuribus derogant. h. d.

Transactiones d quoque similem juris firmitatem obtinent, usque adeo ut iuribus omnibus, quae partibus, aut obtentu praescriptionis, aut privilegii, seu quocunque modo suffragari poterant, vires adimant. Sed & hoc de illis transactionibus intelligere nos oportet, quae non sunt iuri contrariae. Alioquin si aut super re sacra e, & litigiosa, aut in causa matrimonii interpositae sunt, nullum robur obtinent.

DE ARBITRIS.
TITVLVS IV.

Qui sint proprie arbitri. h. d.

Arbitri f dicuntur proprie, qui nullam potestatem habentes, consensu litigantium in iudices eliguntur, in quos compromittitur, ut eorum sententia stetur.

Tam in iudicem ordinarium, quam delegatum potest compromitti. h. d.

Sed et si qui legitimam in partes potestatem habeant, ab eisdem tamen in arbitros eligi poterunt. Quod non solum de eis intelligendum est g, qui ordinariam exercent jurisdictionem, verum etiam de his, qui delegatum tantum obtinent.

a C. i. de pact. in 6. b Cap. 2. de pact. in 6. c C. fin. ext. de pact. d C. i. ext. de trans. e Constitut. & c. fin. ext. de trans. f Can. a iudicibus. s. arbitrariis. 2. q. 6. g Can. cum olim. ext. cod. gl. fon. can. a iudicibus. 2. q. 6.

Toni personas, in quas non potest compromitti. h. d.
Sed neque servi a, nec, qui servis similes sunt, monachi & regulares, arbitrium in se recipere possunt. Ad hos enim quies, oratio, & manuum labor, non autem causarum spectat cognitio. Hæretici quoque, apostatae, schismatici, infideles, & excommunicationis vinculo ob delictum proprium innodati, Arbitrorum in se officium assumere non poterunt.

In laicum de re spirituali non potest compromitti, nisi si clerico adiunctus, vel in eum sit compromissum auctoritate Apostolica. h. d.

Sed nec in eum, cuius licet ex delicto aliquo non sit lapsa a summatio, laicus b tamen est, de re spirituali compromissum fieri potest. Si tamen c is, aut clericus sit adiunctus, aut Apostolica auctoritate compromissum susceperit, Arbitri partes exequi minime prohibentur.

In feminas non potest compromitti, nisi id permittat regionis consuetudo, & ordinis. Qui non prohibetur, potest rursus compromitti. h. d.

Fœminæ d quoque, licet illa summæ opinionis existant, ab omni judiciali examine usque adeo sunt separanda, ut ex illarum sententiis nulla pena adversus illius contemptores, nullaque pacti exceptio citari, nisi regionis probata consuetudo talium munerum participes illas redderet. Ceteri vero, quos neque sacrorum Canonum, nec secularium legum statuta specialiter continent, omnes ad tractanda arbitria admittendi erunt.

Reperitur quidam, qui non possunt compromittere. h. d.

Sicuti autem ii, quos supra recensuimus, arbitri exercere prohibentur, ita etiam illorum quos compromittere non permittuntur, qui tam ex libris Pontificii, quam Cæsarei juris commodius cognosci poterunt.

Toni casus, super quibus non potest compromitti, si super super arbitrio. h. d.

Pleraque etiam causæ arbitrorum notionem exsuperant: nam e liberales, matrimoniorum, filiationum, monachationum, conversionum, in integrum restitutionum: item f criminales, & quæ majores iudices exigunt, per arbitros cognosci non possunt. Quod etiam diximus de matrimoniis compromitti non posse, de carnalibus intelligendum est: nam quod de spirituali matrimonio compromitti possit, secundum ea, quae supra diximus, nulla est dubitatio.

Arbitri super pluribus, si super uno tantum pronuntiant, non expirat compromissum, nisi habuerit à partibus facultatem ut pronuntiant. h. d.

Finiuntur autem arbitria pluribus modis: utputa, sententiae prolatione, & temporis lapsu. Sententiae prolatione finiuntur arbitria, cum de omnibus, de quibus compromissum fuerit, arbitri pronuntiant. Nam si de quibusdam tantum sententiam tulerit, nisi talem pronuntians potestatem à partibus habuerit, compromissum non expirat.

Terminis lapsu compromissum expirat. h. d.

Lapsu temporis expirat arbitrium, cum terminis compromisso comprehensus re infecta labitur.

Morte tam arbitrorum, quam compromittentium expirat compromissum, nisi specialiter sit distum de hæredibus compromittentium. h. d.

Mortis g quoque intervenit compromissa imitantur, tam arbitrorum, quam etiam litigatorum. Compromissum h enim in compromittendis hæredes non extenditur, nisi de his quoque specialiter caveatur. Sicut & alii modi, quibus compromissa finiuntur: quos

a Can. s. servi. 7. q. 7. b C. contra. ext. cod. c C. per unum. in fin. ext. cod. d C. de i. s. i. s. i. ext. cod. e C. pen. in fin. ext. de rest. in integ. f d. c. pen. in initio. g C. pen. ext. de offi. del. et. in parte in fin. ext. cod. h Cap. s. ext. cod.